QUAESTIONES METRICAE

DE

ACCENTUS MOMENTO IN VERSU HEROICO.

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO


PHILOSOPHORUM ORDINE IN UNIVERSITATE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

MILTON WYLIE HUMPHREYS A. M.

VIRGINIENSIS.



LIPSIAE

TYPIS ANDRAEI

MDCCCLXXIV.

Hoc opusculum est maioris de quibusdam elisionis et accentus momentis in trimetris iambicis et hexametris dactylicis operis Lib. II Cap. III, quod opus nondum prodiit.

B.

III. De accentus momento in versu heroico.

§. 22. In hoc versu ictus in correptam syllabam cadere non potest; quare nullus locus est quaerendi num ictus in acuta harum formarum syllaba, ◡◡́◡◡̄, ◡́◡◡̄, —◡́◡◡̄, —́◡◡, ponendus sit; nam in primis tribus non in acutam, in postrema non in gravem syllabam cadere potest. In verbis autem quae ex syllabis longis constant, non tantum accentus momenti exspectandum est, quantum in senariis, praecipue in sedibus paribus. In hoc enim versu, pedes semper iambi naturam servabant; in versu autem heroico a principio thesis tantum temporis habebat quantum arsis, et ictus a primo ad extremum versum sibi similis est. Porro Ennius, cum hexametros introduceret, Graeca exempla imitatus est, et genus artificiosius creavit, in quo quantitas non tam neglegi poterat; quare non tam ad popularis usus normam versus composuit.

Enni igitur hexametris perspectis, non possum quin putem eum accentum prorsus neglexisse. Hoc ex eo apparet quod in quinto et sexto pedibus, ubi poetarum posterioris temporis usus

demonstrat ictum in acuta syllaba facile poni posse, tam saepe iis locis offensionem admittit, quam Homerus et Hesiodus, Latino accentu adhibito. Neque femininam, quam dicunt, caesuram tam saepe adhibet quam Homerus, sed videtur, ut supra dixi, masculinam anteposuisse. Non quidem prorsus desunt exempla eius caesurae, ut, «labitur uncta carina || per aequora cana celocis», sed rara sunt. Ceterum forma versus et accentus regulae efficiunt ut in quinto pede et sexto ictus plerumque in acutam syllabam cadat. Non est quod hoc multis verbis demonstrem. Graeci versus Latino accentu adhibito satis manifestum faciunt, et si quis paullum secum reputaverit, facile videbit quare res se ita habeat. Caesurae autem in tertio et quarto pedibus efficiunt ut ictus in ultimas syllabas cadat. Ergo plerique versus, etiam si accentus neglegitur, per se in priore parte quamdam contentionem inter ictum et accentum, in posteriore autem parte quasi reconciliationem ostendunt. Ea igitur discordia et concordia, postquam versus multi scripti sunt multumque legebantur, quoddam huius generis proprium esse videbantur; quamobrem versus, in quibus hoc non fiebat, inusitati atque insuaves videbantur. Quare poetae consulto coeperunt eo modo componere, et quo magis id faciebant, eo plus erat offensionis, si res neglegebatur. Denique igitur poetae non solum istam in posteriore parte concordiam, sed etiam discordiam in priore parte facere quaerebant. Corssenus (II. p. 960) demonstrat ictum apud Ennium generatim tam saepe cum accentu congruere quam apud poetas posterioris temporis. Ergo, cum in duobus ultimis pedibus hoc multo rarius apud Ennium quam apud Vergilium fiat, apparet ictum in illius versibus rarius quam in huius cum accentu in priore parte pugnare. Unde perspicuum est discordiam in priore concordiam in posteriore versus parte Vergili temporibus consulto factas esse; neque quisquam

hexametros legere potest, quin hanc rem versus reddere iucundos sentiat. Ac nonnunquam fit ut verba, quae in versu usurpantur, in versu insequente eo modo repetantur, ut ictuum et accentuum ratio mutetur, quo versus etiam suaviores efficiuntur; cuius rei exemplum pulcherrimum est apud Catullum (LXII 20—22),

Hespere, qui caelo fertur crudelior ignis?
quí natám possís compléxu avéllere mátris,
cómplexú matrís retinéntem avéllere nátam:

ubi videbis «natam» primo repugnantiam praebere, ad extremum autem consensionem.

§. 23. Adhuc generatim atque universe disserui: nunc singillatim in diversos auctores inquiram et rei originem ac progressionem persequar, neque alteram partem audire recusabo. Ut modulum habeamus quo rem metiamur, Graecos versus Latino accentu adhibito inspiciam; nam in iis conceditur ab omnibus non cautum esse ne accentus et ictus inter se pugnarent; quis igitur putet omnia non casu fieri in hoc genere, si accentum alienum adhibemus? Cum caesurae post arsin usque ad quartum pedem frequentes sint, quintum tantum et sextum pedes scrutabor; et satis est unum horum pedum in Graecis versibus cum eodem in Latinis comparare. Homeri igitur Od. I. cum Enni Annalium, ut barbare dicam, Fragmentis conferam. In Od. I, qui quadringentos quadraginta quattuor (444) versus continet, ictus in quinto pede cum Latino accentu pugnat

in versibus 15 ubi |⏑⏑| insequitur.
,, ,, 32 ,, |⏑⏑— — ,,
,, ,, 15 ,, quid aliud ,,

Sed verba pyrrhichia et ionica omnino numerosiora sunt in Graeca quam in Latina lingua. Quod ut demonstrem, cum multi versus Enni non integri sint, eundem versuum numerum ex Verg. Aen. I. ad hanc rem adhibebo.

In Od. I. invenio verba huius formae ◡◡ . . . . . . 176.
,, ,, ◡◡—⏓ . . . 101.
In Versibus autem 444 Aen. I ,, ◡◡ . . . . . . 134.
,, ,, ,, ◡◡—⏓ . . . . 21.

Sunt viginti sex paeones primi (◡◡—◡), ubi -que in fine est; sed horum nulla habenda est ratio; nam tum Graecae quoque particulae encliticae non neglegendae essent. Ergo si Graeca lingua totidem verba earum formarum haberet, quot Latina, numerus versuum in quibus ista discordia fit, sic deminueretur:

176 : 134 = 15 : 11 amplius.
101 : 21 = 32 : 7 fere.

11 + 7 + 16 = 34, qui totus esset numerus in quinto pede discordiarum. In Enni autem quingentis quadraginta uno versibus (541), sunt euismodi discordiae triginta sex (36), quae in versibus 444 sint 31, qui non multo minor est numerus quam is quem apud Homerum invenimus. Il. III. quoque contuli, et nominibus propriis omissis paullo rariores discordias quam apud Ennium repperi. In universum igitur dicere possumus Enni carmina in eo genere ab Homeri non differe; unde apparet illum non cavisse ne ictus contra accentum repugnaret. His fretus Enni modulo ceteros poetas metiar, neque sextum pedem praetermittam. Cum monosyllabum in versus fine omnes in hoc pede discordias efficiat, non inutile est eos versus numerare in quibus istud monosyllabum invenitur, etiamsi alterum iuxta praecedens offensionem prohibet. Eadem de causa incisiones in quinto pede, quas monosyllabum praecedit, non neglegam. Alia quoque non inutilia notabo. Cum dubium videatur num verba bisyllaba, quae elisionem patiuntur, pro monosyllabis habenda sint, numerabo ea separatim.

1. In Enni 541 versibus omne fere genus exitus invenimus, ut:

Forma:	Numerus:	Exemplum:
⏖ –́ | ⏑ ⏑ | –́ ⏒ . .	11	dispendi facit hilum.
⏖ –́ | ⏑ ⏑ –́ ⏒ . .	11	mortales perhibebant.
⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ | ⏒ .	2	stolidi soliti sunt.
– –́ | – –́ ⏒ . .	4	Albaï Longaï.
| –́ | ⏑ ⏑ | –́ ⏒ . .	13	te neque posse.
| –́ | ⏑ ⏑ –́ ⏒ . .	13	quos peperisti.
| –́ | ⏑ ⏑ –́ | ⏒ . .	1	vi geritur res.
| –́ | – –́ | ⏒ . .	1	et magnis dis.
| –́ | ⏑ ⏑ | –́ | ⏒ . .	1	iam data sit frux.
| –́ | – –́ – . .	3	sic compellat.
| –́ (⏒) | ⏑ ⏑ –́ ⏒ .	3	aevom agitabant.
| –́ (⏒) | ⏑ ⏑ –́ | ⏒ .	2	atque hominum rex.
– –́ (⏒) | ⏑ ⏑ –́ | ⏒ .	1	scripsere alii rem.
– –́ (⏒) | ⏑ ⏑ –́ ⏒ .	4	inpune animatus.
–́ ⏑ | ⏑ –́ | ⏒ . .	25	quamde manus vi.
| –́ – –́ | ⏒ . . .	1	sublatae sunt.
| –́ ⏑ ⏑ –́ | ⏒ . .	7	exoritur sol.
–́ ⏑ ⏑ | –́ | ⏒ . .	3	obstitit et nox.
–́ ⏑ | ⏑ | –́ | ⏒ . .	1	isque pium ex se.
| –́ ⏑ ⏑ –́ ⏒ . . .	18	condecoratum.
| –́ – –́ ⏒ . . .	5 (3 nom. propr.)	Casmenarum.
| ⏖ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏒ . .	2	sapientipotentes.
–́ ⏑̸ ⏑ | –́ ⏒ . que .	4	terraque corpus.

Esse potest ut errata sint in his numeris et in iis qui secuntur, sed quod ad rem in universum pertinet, nihil refert. Quattuor discordiarum, quas coniunctio -que efficit, nullam rationem supra habui, ubi cum Homero comparavi. Rem autem breviter complectamur: sunt post quintam arsin incisiones

1) cum discordia		28
2) sine discordia a) monosyl	32	
b) elision. α) bisyl	5	
β) polysyl	5	42
in sexto pede incisiones 1) cum discordia		40
2) sine discordia (monosyl. praeced.)		5
discordiae in quinto pede sine incisione 1) -que	4	
2) aliter	8	12
spondei in quinta sede, id est σπονδειάζοντες		13
versus in quibus ambo pedes integris verbis constant		25

Videmus ictum in sexto pede non saepius cum accentu contendere quam in quinto, sed prae toto incisionum numero permulto saepius, atque etiam saepius quam apud Homerum fit. Id se ita propterea habere videtur, quod Ennius quosdam Homeri versuum exitus, qui maxime placerent, imitatus sit, ut χαλκοβατὲς δῶ quem imitatus scripsit «endo suam do», et similiter «laetificum gau», «altisonum cael», cet.; tmesinque imitatus «saxo cere — comminuit — brum». Si quis existimat eum non Homeri sed Romanorum consuetudinem secutum id fecisse, hunc versum conferat: «Massili — portabant iuvenes ad litora — tanas», quem nimis Homeri imitationi intentus scribere potuit, sed nullo modo si populi usum servasset. In quinto autem pede ratio (28 : 42) est eadem fere quae exspectanda erat, si poeta hanc rem neglexit. Apud Hesiodum, quoad inspexi, dimidia pars incisionum in eo pede vel monosyllabum vel elsionem ante se habent; quare fateor monosyllaba plura, quam putarem nisi novissem, hanc incisionem apud Ennium proxime praecedere. Verum esse potest ut hoc caesurae Homeri bucolicae imitationi tribuendum sit. Sed alio loco de hac re curiosius disputabo.

2. Iam ad Lucilium ventum est. Non autem mirandum est, si parvam curam atque diligentiam adhibuit is, qui in hora

saepe ducentos, ut magnum, versus dictaret stans pede in uno. Non tamen inutile est inquirere quantum eius in hac re consuetudo ab Enni differat, praesertim cum Graeca exempla non tam accurate imitatus sit. Versuum 925 exitus, quorum exempla non collegi, haec ostendunt: incisiones post quintam arsin

1) cum discordia	. . . .		10
2) sine discordia a) monosyl.	. . . .	45 . .	
b) elis. α) bisyl.	. .	8 . .	
β) polysyl.	.	11 . .	64
incisiones in sexto pede 1) cum discordia	. . . .		35
2) sine discordia a) monosyl.		22 . .	
b) elis. α) bisyl.	.	1 . .	
β) polysyl..		4 . .	27
discordias in quinto pede sine incisione, |—́⏑⏑—́|⏒	.	10 . .	
—́⏑⏑(⏒)|—́⏒	.	5 . .	15
spondeos in quinta sede, |—́——́⏒,1, ——́(⏒)|——́⏒,1	.		2
ambo pedes integris verbis constantes	. . . . . .		31

His cum illis quae ex Ennio collegimus collatis videmus a) incisionem in quinto pede rariorem esse, discordiam autem multo rariorem; accentum autem in syllaba correpta neglegi; b) incisionem in sexto pede non raram esse, discordiam autem diligentius evitari; c) spondeos in quinta sede non tam frequentes esse; d) ambo pedes paullo rarius integris vocabulis constare. Sed apertum est eum non pro offensione habuisse, si ictus in syllaba gravi fieret, dummodo alter ictus in syllaba acuta esset. Exempla ideo rariora sunt, quia rarius composita qualia «altisonantes», «sapientipotentes» usurpat quam Ennius. Atque generatim dicere possumus, eum non tam in versuum formas intentum fuisse, quam ad illud, ut in hora ducentos sciberet versus in uno pede stans. Iam vero apud Lucilium, si versus in vocabulum ionicum, |⏑⏑—́⏒, exit, polysyllabum

ante incisionem diligenter evitatur, quod idem apud posterioris temporis poetas inveniemus; quodsi in pyrrhichium et spondeum, |⏑⏑|–́⏒ exit non tam raro invenitur istud verbum polysyllabum.

3. In Lucreti Lib. III, mille et nonaginta duobus (1092) versibus constante, versuum exitus invenio, qui secuntur:

Forma:	Numerus:	Exemplum:
⏑⏑–́|⏑⏑–́⏒	1	species ratioque.
––́|⏑⏑|–́⏒	1	quamvis negat ipse.
|–́⏑⏑–́|⏒	2	insideat rei.
|–́|⏑⏑|–́⏒	24	cum dolet aegri.
|–́|⏑⏑–́⏒	17	mens animusquest.
|–́|⏑⏑–́|⏒	7	quod faciat nos.
|–́|⏑́⏑|–́|⏒	4	ac manus et spes.
|–́|⏑|⏑–́⏒	4	non sit acerbum.
|–́|––́⏒	2	est natura.
|–́(⏒)|⏑⏑–́⏒	13	atque animaï.
|–́(⏒)|⏑⏑–́|⏑	4	atque oculi sunt.
––́(⏒)|⏑⏑–́⏒	10	delatum Heliconi.
––́(⏒)|⏑|⏑|–́⏒	2	traxere et in illam.
––́(⏒)|⏑⏑–́|⏒	1	diffusa animae vis.
–́⏑⏑(⏒)|–́⏒	4	defluere hilum.
–́⏑|⏑–́|⏒	26	inque tuis nunc.
–́⏑⏑|–́|⏒	16	noscere qui sit.
|–́⏑⏑–́⏒	45	vociferari.
|⏑–́⏑⏑–́⏒	1	amicitiaï.
–́⏑|⏑(⏒)|–́|⏒	2	congesta quasi in vos.
|–́––́⏒	5	persentiscunt.
–́⏑̸⏑|–́⏒ . que	7	mutareque voltum.

Ex quibus haec colligimus:

incisiones post quintam arsin 1) cum discordia			2
	2) sine discordia a) monosyl.	58	
	b) elis. α) bisyl.	17	
	β) polysyl.	13	88
incisiones post sextam arsin 1) cum discordia			40
	2) sine discordia a) monosyl.	22	
	b) elis.	0	22
discordias in quinto pede sine incisione	1) –́ ⏑ ⏑ –́ | ⏒.	2	
	2) –́ ⏑́ ⏑ | –́ ⏒ que	7	
	3) –́ ⏑ ⏑ (⏒) ¦ –́ ⏒.	4	13
spondeos in quinta sede			7
ambo pedes integris verbis constantes			51

Unde videmus 1) incisiones in quinto pede tam frequentes esse quam apud Lucilium, discordiam autem sedulo evitari. In hoc quidem libro discordiae in eo pede rariores sunt quam in reliquis libris, qui quaternas vel quinas habent. 2) In sexto autem pede accentus tantum neglegitur quantum apud Lucilium. 3) Vocabula ambos pedes continentia non evitantur, et accentus in syllaba correpta neglegitur; quare vocabula formae –⏑́⏑⏑ quattuor elisionem ante incisionem inter quintum et sextum pedem patiuntur. Haec quidem vocabula omnia sunt Infinitivi verborum compositorum in quibus prima syllaba praepositio est, ut «defluere hilum». Similiter accentus inusitatus neglegitur; nam septem versus invenimus, quorum in quinta sede sunt formae, qualis est «mutaréque», quasi accentus sit «mutáreque», quem quidem se recte habere nonnulli docent. Haud raro monosyllaba quae accentu carent incisionem in quinto vel in sexto pede praecedunt, qua de re infra dicam. Elisio in ultimo pede ante incisionem, id est, ante monosyllabum diligenter evitatur; quae elisio apud Ennium non rara est, et apud Lucilium exitus horribiles invenimus, qualis est «cōnscĭŭ sūm mi; ăt —». In

quinto autem pede elisio admittitur ut ictus in acutam syllabam cadere possit: nam duo tantum exempla formae ⏒⏒–́|⏑⏑–́⏒ invenimus, et tredecim formae ⏒⏒–́(⏒)|⏑⏑–́⏒ (in quibus incisiones in posteriore ordine hic non denoto). Hanc elisionem apud Vergilium eiusque aequales rarissimam inveniemus.

4. Corssenus, ut demonstret accentum neglegi, discordias in Lucr. II. numerat, ubi sedecim (16) in quinto pede invenit, ex quibus duodecim (12) coniunctione -que fiunt, ut «arbustáque laeta»; unde concludit accentum omnino neglegi. Si crederet, ut Lucianus Müller (de re metr. p. 211 etqs.) istas incisiones «legibus aestheticis» regi, tum non necesse erat ut discordias numeraret; ergo, quoniam numeravit, in animo fuit ex eventu colligere utrum accentus neglegeretur necne. Quid ergo postulat? An ut omnes ictus in iis pedibus cum accentu congruant? Regulam, cui nulla sit exceptio, nequidquam quaesiveris. Si ista ratione res iudicandae sunt, putare licet Vergilium hiatum non effugisse, atque syllabas ultimas breves pro communibus (διχρόνοις) habuisse; nam in Lib. XII. hiatus sunt tres (v. 31, 535, 648), et syllabae breves producuntur septem (v. 13, 68, 263, 550, 667, 772, 883), ut de iis versibus sileam in quibus -que ante duos consonantes producitur. Quod discordiae tam frequentes sunt apud Ennium, illud satis demonstrat non casu neque necessitate fieri posse ut tam rarae apud Lucretium sint; atque exceptiones ipsae apud Lucretium idem demonstrant; nam in hac re valet illud: exceptio confirmat regulam. In Horati Sat. I. invenit Corssenus undecim discordias in quinto pede, et in sexto quinquaginta quinque, quas cum discordiis in Vergili carminibus comparat ut demonstret miram ictus et accentus consensionem in his carminibus non a populari pronuntiandi more oriundam esse, quod Horati Satirae, in quibus discordia tanto frequentior sit, magis populares fuerint. Scilicet: at unde est oriunda?

An a «legibus aestheticis»? Haud negaverim: sed istae leges ad accentum spectant. Horatius autem Satiras, ut notissimum est, minore cura scripsit quam Epistulas; itaque caesuram saepius neglectam invenimus, et ictus saepius cum accentu pugnat. Sed cum Corssenus incisiones in quibus nulla est discordia omittat, ego Satirarum Lib. I. cum Epistularum Lib. I., iis incisionibus non praetermissis, conferam. In Sat. I. in quo sunt mille et viginti quinque (1025) versus, hos exitus invenio:

<table>
<tr><th>Forma:</th><th>Numerus:</th><th>Exemplum:</th></tr>
<tr><td>⏔–́ | ⏑⏑ | –́⏒</td><td>30</td><td>ignis mare ferrum.</td></tr>
<tr><td>⏔–́ | ⏑⏑–́⏒</td><td>3</td><td>ciniflones parasitae.</td></tr>
<tr><td>⏔–́ | ⏑ | ⏑–́⏒</td><td>5</td><td>amatorem quod amici.</td></tr>
<tr><td>⏔–́ | ⏑⏑ | –́ | ⏒</td><td>5</td><td>medicum roget ut te.</td></tr>
<tr><td>| –́ | ⏑⏑ | –́⏒</td><td>78</td><td>quam sibi sortem.</td></tr>
<tr><td>| –́ | ⏑⏑ | –́ | ⏒</td><td>7</td><td>ac meus ut si.</td></tr>
<tr><td>| –́ | ⏑⏑–́ | ⏒</td><td>14</td><td>ne facias quod.</td></tr>
<tr><td>| –́ | ⏑⏑–́⏒</td><td>8</td><td>ac nebulonem.</td></tr>
<tr><td>| –́ | ⏑ | ⏑–́⏒</td><td>2</td><td>aut quod ineptus.</td></tr>
<tr><td>| –́ | ⏑(⏒) | ⏑–́⏒</td><td>3</td><td>non ego avarum.</td></tr>
<tr><td>| –́ | ⏑(⏒) | ⏑ | –́⏒</td><td>1</td><td>stans pede in uno.</td></tr>
<tr><td>| –́ | ⏑⏑(⏒) | –́(⏒)'⏒</td><td>1</td><td>aut etiam ipse haec.</td></tr>
<tr><td>| –́(⏒) | ⏑⏑ | –́⏒</td><td>5</td><td>nullum ego tango.</td></tr>
<tr><td>| –́(⏒) | ⏑⏑–́⏒</td><td>3</td><td>umquam alienis.</td></tr>
<tr><td>| –́(⏒) | ⏑⏑ | –́ | ⏒</td><td>1</td><td>quanti olus ac far.</td></tr>
<tr><td>| –́(⏒) | ⏑ | ⏑–́⏒</td><td>2</td><td>nemo ut avarus.</td></tr>
<tr><td>| –́(⏒) | ⏑⏑–́ | ⏒</td><td>3</td><td>quantum habeas sis.</td></tr>
<tr><td>––́(⏒) | ⏑⏑ | –́⏒</td><td>1</td><td>antestari ego vero.</td></tr>
<tr><td>––́(⏒) | ⏑⏑–́⏒</td><td>1</td><td>Varrone Atacino.</td></tr>
<tr><td>––́(⏒) | ⏑⏑–́ | ⏒</td><td>1</td><td>deprensa egomet mi.</td></tr>
<tr><td>–́⏑⏑–́ | ⏒</td><td>14</td><td>accipias quem.</td></tr>
<tr><td>–́⏑ | ⏑–́ | ⏒</td><td>28</td><td>adfixit habes qui.</td></tr>
</table>

Forma:	Numerus:	Exemplum:
–́ ⏑ (⏒) | ⏑ –́ | ⏒ . .	1 .	sumere eo fit.
–́ ⏑ ⏑ | –́ | ⏒ . . .	38 .	rusticus hinc vos.
–́ ⏑ | ⏑ | –́ | ⏒ . .	7 .	audivit at in se.
–́ ⏑ ⏑ | –́ (⏒) | ⏒ . .	3 .	iugera centum an.
–́ ⏑ | ⏑ –́ — (⏒) . .	2 .	unus amicosque | a puero, etc.
–́ ⏑ ⏑ (⏒) | –́ ⏒ . .	5 .	iudicium illud.
–́ ⏑ ⏑ (⏒) | –́ ⏒ (-que) .	1 .	pugnantiaque istis.
–́ ⏑ (⏒) | ⏑ –́ ⏒ (-que).	1 .	servareque amicos.
| –́ ⏑ ⏑ –́ ⏒	15	(6 nom. propr.) pauperiorum.

Unde colligimus, quae secuntur:

incisiones post quintam arsin 1) cum discordia		43
2) sine discordia a) monosyl.	114 . .	
b) elis. α) bisyl.	14 . .	
β) polysyl.	3 . .	131
incisiones in sexto pede 1) cum discordia		61
2) sine discordia a) monosyl.	58 . .	
b) elis. α) bisyl.	4 . .	
β) polysyl.	0 . .	62
discordiae sine incisione in quinto pede		21
discordiae in sexto pede, ultima syllaba elisa		2
ambo pedes integris verbis constantes		15
spondeus in quinta sede prorsus		0

Unde apparet Horatium prae Enni consuetudine nonnihil cavisse, in sexto autem pede multo magis cavisse ne offensio fieret. Sed cum tot incisiones cum discordia in sexto pede sint, quot incisiones sine discordia, putari potest eum hanc non evitasse. Verum haec res fallax est. Si haec omnia casu facta essent, eo saepius discordia ad eam incisionem inveniretur, quo plus omnino est verborum polysyllaborum quam monosyllaborum in usu. At nonne potuit Horatius pauciores facere discordias, si

voluisset? Sane; sed noluit. In Epistulis autem quas maiore cura scripsit, res se aliter habet. Hae leges non sunt sine exceptionibus. Poetae igitur discordias effugiebant, prout genus carminis iubebat; quare in Satiris Horatius huic rei non magnam operam dedit.

Hor. Epist. Lib. I. et tot Libri II. versus inspexi ut omnino essent mille versus, in quibus hos exitus inveni:

<table>
<tr><th>Forma:</th><th>Numerus:</th><th>Exemplum:</th></tr>
<tr><td>⏔—́ | ⏑⏑ | —́⏒</td><td>14</td><td>iudiciis fruar isdem.</td></tr>
<tr><td>——́ | ⏑⏑—́⏒</td><td>1</td><td>pulcra minitantem.</td></tr>
<tr><td>⏔—́ | ⏑⏑ | —́ | ⏒</td><td>2</td><td>bonis ubi quid deest.</td></tr>
<tr><td>——́ | ⏑⏑—́ | ⏒</td><td>1</td><td>nimirumst odio sors.</td></tr>
<tr><td>⏑⏑—́ | ⏑ | ⏑—́⏒</td><td>1</td><td>liberior sit avarus.</td></tr>
<tr><td>| —́ | ⏑⏑ | —́⏒</td><td>49</td><td>iam rude quaeris.</td></tr>
<tr><td>| —́ | ⏑⏑—́⏒</td><td>2</td><td>an puerorumst.</td></tr>
<tr><td>| —́ | ⏑⏑—́ | ⏒</td><td>8</td><td>rem facias rem.</td></tr>
<tr><td>| —́ | ⏑⏑ | —́ | ⏒</td><td>8</td><td>quid sequar aut quem.</td></tr>
<tr><td>| —́ | ⏑ | ⏑—́⏒</td><td>2</td><td>et quod habebo.</td></tr>
<tr><td>| —́ | ⏑(⏒) | ⏑ | —́⏒</td><td>1</td><td>et tibi et urbi.</td></tr>
<tr><td>——́(⏒) | ⏑⏑ | —́⏒</td><td>1</td><td>incastigatum ubi plura.</td></tr>
<tr><td>——́(⏒) | ⏑⏑—́⏒</td><td>1</td><td>solersque elementis.</td></tr>
<tr><td>—́⏑⏑—́ | ⏒</td><td>9</td><td>imperium fer.</td></tr>
<tr><td>—́⏑ | ⏑—́ | ⏒</td><td>18</td><td>sanus equom ne.</td></tr>
<tr><td>—́⏑⏑ | —́ | ⏒</td><td>37</td><td>tempora quae spem.</td></tr>
<tr><td>—́⏑ | ⏑ | —́ | ⏒</td><td>2</td><td>omnis in hoc sum.</td></tr>
<tr><td>—́⏑⏑ | —́(⏒) | ⏒</td><td>1</td><td>altera porro et.</td></tr>
<tr><td>—́⏑ | ⏑—́(⏒) | ⏒</td><td>1</td><td>ridere decorum et.</td></tr>
<tr><td>—́⏑⏑(⏒) | —́⏒</td><td>2</td><td>navigio aeque.</td></tr>
<tr><td>—́⏑̸(⏒) | ⏑ | —́⏒ que.</td><td>1</td><td>aeraque et artes.</td></tr>
<tr><td>—́⏑̸⏑ | —́⏒ -que, -ne.</td><td>7</td><td>pastaque rursus.</td></tr>
<tr><td>| —́⏑⏑—́⏒</td><td>6 (3 nom. propr.)</td><td>divitiarum.</td></tr>
</table>

Ergo sunt

incisiones post quintam arsin 1) cum discordia		. . . . .	19
	2) sine discordia a) monosyl.	70 . .	
	b) elis. polysyl.	2 . .	72
incisiones in sexto pede 1) cum discordia		. . . .	36
	2) sine discordia a) monosyl. . .	49 . .	
	b) elis. α) bisyl. .	1 . .	
	β) polysyl. .	1 . .	51
discordiae sine incisione in quinto pede 1) -que, -ne		8 . .	
	2) aliter .	11 . .	19
vocabula ambo pedes continentia (3 nomina propria)		. .	6
spondeus in quinta sede		. . . .	0

Unde apertum est Horatium non modo rarius incisionem in iis pedibus, sed etiam multo rarius discordiam fecisse in Epistulis quam in Satiris. Quod autem incisio omnino rarior est, ea de re infra disputabitur. Si igitur haec res casu accidit vel versus forma et natura regitur, qui factum est ut Horatius in Epistulis non eosdem versuum exitus, vel fere eosdem, quos in Satiris, faceret? Videbis Horatium istam elisionem, quae discordiam in quinta arsi impedit, non adhibuisse; nam discordiae ut — –́ | ⏑ ⏑ –́ ⏒ sunt quinquaginta tres (53) in Sat. I, elisiones autem, ut — –́ (⏒) | ⏑ ⏑ –́ ⏒, tantum tres; et in Epist. I. ii numeri sunt undeviginti (19) et duo (2); apud Lucretium autem invenimus duas (2) discordias ad tredcim (13) elisiones, ut de bisyllabis elisionem passis taceam.

5. Omnia Vergili opera perlustravi, et hos exitus inveni:

Forma:	Numerus:	Exemplum:
⏕ –́ | ⏑ ⏑ | –́ ⏑ .	14 .	Ditis tamen ante.
⏕ –́ | ⏑ ⏑ –́ ⏒ . .	29 .	rubens hyacinthus.
⏕ –́ | ⏑ ⏑ | –́ | ⏒ .	2 .	subter mare qui nunc.
⏕ –́ | — –́ ⏒ . .	12 .	purpureo narcisso.

Forma:	Numerus:	Exemplum:
| –́ | ⏑⏑ | –́ ⏒ . .	130 .	te quoque dignum.
| –́ | ⏑⏑–́ ⏒ . .	5	(nom. propria) an Meliboei.
| –́ | ⏑⏑ | –́ | ⏒ .	8 .	haec tibi mens est.
| –́ | ⏑ | ⏑–́ ⏒ . .	6 .	si qua tulisset.
| –́ | ⏑⏑–́ | ⏒ . .	1 .	cum rapidus sol.
| –́ | ––́ | ⏒ . .	2 .	et magnis dis.
| –́ | ⏑ | ⏑–́ | ⏒ .	1 .	si qua tibi vis.
| –́ (⏒) | ⏑⏑ | –́ ⏒ .	8 .	saepe ego longos.
| –́ (⏒) | ⏑⏑–́ ⏒ .	1 .	mentem animumque.
| –́ (⏒) | ⏑⏑–́ | ⏒ .	4 .	atque hominum rex.
| ⏒⏒–́ (⏒) | ⏑⏑–́ ⏒ .	17 .	solidoque elephanto.
–⏑̸⏑ | –́ ⏒ que, ve.	112 .	promissaque barba.
–́ ⏑⏑̸(⏒) –́ ⏒ (-que).	15 .	Ephyreïaque aera.
–́ ⏑⏑̸(⏒) –́ ⏒ (-que).	1 .	omniaque in se.
–́ ⏑̸(⏒) | ⏑ –́ ⏒ (-que).	3 .	arvaque et urbis.
–́ ⏑⏑(⏒) | –́ ⏒ . .	1 .	intremere omnem.
| –́ ⏑⏑–́ | ⏒ . .	8 .	exiguus mus.
–́ ⏑ | ⏑–́ | ⏒ . .	31 .	intempesta silet nox.
–́ ⏑⏑ | –́ | ⏒ . .	37 .	litora nec quae.
–́ ⏑⏑ | –́ (⏒) ⏒ . .	2 .	turbidus atque huc.
| –́ ––́ ⏒ . . ,	16	(11 nom. propr.) incrementum.
| –́ ⏑⏑–́ ⏒ . . .	21	(19 nom. propr.) Alcimedontis.
–́ ⏑⏑ | –́ – (⏒) .	5 .	robora totasque | advolvere etc.
–́ ⏑ | ⏑–́ – (⏒) . .	15 .	frigidusque caloremque | inter etc.

Ergo, incisiones post quintam arsin 1) cum discordia . . 57

2) sine discordia a) monosyl. . . 153 . .

b) elis. α) bisyl. . 13 . .

β) polysyl. . 17 . . 183

incisiones in sexto pede 1) cum discordia		47
2) sine discordia a) monosyl. . .	48 . .	
b) elis. α) bisyl. .	2 . .	
β) polysyl. .	0 . .	50
discordiae in quinto pede sine incisione 1) -que, -ve.	131 . .	
2) aliis de causis.	9 . .	140
discordiae in sexto pede, ultima syllaba elisa		20
spondei in quinta sede		30
versus in quibus ambo pedes ex integris vocabulis constant .		37

Sunt in Vergili operibus duodecim milia et nongenti duodecim (12,912) versus, quorum circiter quadraginta tres non integri sunt; ergo restant 12,869 qui exitus habent. Magna pars eorum in quibus ista offensio est, nomina propria vel Graeca vocabula continent aut Homeri vel Theocriti vel Enni in imitationem facti sunt. Ex Enni Annalibus sumptum est istud «et magnis dis» quod bis invenitur. Exitus | ◡◡–́ ◡̄ saepe in eo quod «hymenaeus» est consistit, ante quod vocabulum syllaba brevis nonnunquam producitur, vel hiatus admittitur. Idem vocabulum apud Catullum similem exitum saepe facit. Sed fatendum est incisionem omnino raram esse in duobus ultimis pedibus. Langenus dicit incisionem post quintam arsim non raram esse futuram, si cetera verba tam saepe ante eam admitteretur quam monosyllaba. At verba polysyllaba cuiusque formae metricae non tam saepe in usu inveniuntur quam monosyllaba. Porro Ennius multo saepius eam incisionem facit, etiam cum monosyllabum antecedit. Quocirca concedendum est Vergilium incisionem ipsam nonnihil evitasse, sive discordia esset sive non esset, sed maxime effugisse discordiam.

Si verba enclitica antecedentis verbi ultimae syllabae accentum tribuunt, ut grammatici docent, apertum est eum accentum, ut qui inusitatus esset, a Vergilio neglectum esse; nam in

huiusmodi verbis ictus saepius cum accentu pugnat, quam in quovis alio genere. Non tamen obliviscendum est ictum in brevem syllabam non cadere posse; quamobrem venia concedenda est, quod ictus haud raro cum accentu in syllaba correpta contendat. Hoc vero animadvertendum est: ante incisionem inter quintum et sextum pedem vocabula huius formae, —◡◡⏓, septemdecim (17) elisionem patiuntur, sic —́◡◡(⏓) —́ —, ex quibus sedecim (16) e verbis dactylicis et encliticis composita sunt, ut «ómniaque ín se». Solum exemplum, non eo modo compositum, est «í n tremere omnes», quod istis apud Lucretium exemplis simile est. Hoc docere videtur ea verba accentum usitatum retinuisse, ut «ómniaque» vel «ómniáque» (cf. *πήματά γε*); sed aliter explanare possumus. Nam, primum, coniunctio -que, et cetera verba enclitica -ve, -ne, suis vocalibus elisione prorsus orbantur, ut iam dictum est; quare ea elisio nihil offensionis dat. Ergo esse potest ut altera elisio, non ob discordiam inter ictum et accentum, sed per se evitata sit. Deinde, si momentum accentu etiam in brevi syllaba tribuendum est, sic res explicari potest. Cum novos accentus ab enclitico oriundus non iuxta ictum esset, offensio minor erat quam in verbis in quibus accentus ictum proxime sequitur, ut «i n trémere». Si autem ultima syllaba producitur, ut «summōque», ictus in eam cadit. Si hoc se ita haberet, quia -que pro ultima syllaba valeret, tum «omniaque» accentum in antepaenultima haberet, «omníaque», neque talia verba saepius elisionem paterentur quam cetera, nisi ob causam de qua supra dixi. Quapropter, si illa prima explicatio non ea est in qua acquiescas, putandum est talia vocabula aut sic «ómniaque», quod non credibile est, aut sic «ŏmniáque», accentu medio pro eo qui fuerat posito, pronuntianda esse.

6. Quod Vergilius et Horatius in hac re tam valde inter se differunt, id diverso operum generi tribuendum est. Opera

Horati, in quibus hexametrum usurpavit, scripta sunt ut aliquid extra se efficerent; Vergili autem ut ipsa quasi monimenta essent, quod genus magis artificiosum esse oportet. Exemplum huius rei est Elegia, quod opus artificiosum est et per se admirandum. Quare apud Catullum, Tibullum, Propertium, Ovidium, in hexametris qui in elegiis sunt nullas fere discordias inter ictum et accentum invenies in quinto et sexto pedibus. Sunt plures apud Catullum quam apud Tibullum et Propertium, et apud Ovidium paucissimae, vel prorsus nullae. Ovidius autem, ut notum est, in aliis quoque rebus maiore cura scripsit; nam vocabula iambica semper in pentametri fine posuit, et alias sibi minus licentiae indulsit, qua de re non est quod plura dicam. Breviter autem in eorum poetarum consuetudinem in hac re inquiram. a) In trecentis et viginti tribus (323) hexametris in Catulli Elegiis, sunt, ni fallor,

incisiones post quintam arsin	1) cum discordia . . .	5
	2) sine discordia . . .	18
incisiones in sexto pede	1) cum discordia	6
	2) sine discordia	7

Una discordia (CXV 5) fit ubi -que elisionem in versus fine patitur altero -que praecedente. In carmine autem heroico, Epithal. Pel., poeta optimus, Alexandrinorum exempla, quod dolendum est, imitatus, multa quae Graecorum carminum propria sunt admisit. Quare multi versus spondeum in quinta sede habent. Tales versus Graecorum in imitationem factos esse et aetatis rerum inusitarum cupidae fuisse proprios, docet id quod Cicero (Att. 7,2) dicit: «Ita belle nobis flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites. Hunc *σπονδειάζοντα* si cui voles *τῶν νεωτέρων* pro tuo vendito.» In eo carmine, quod quadringentos et octo (408) versus continet, ictus in quinto pede octies (8) cum accentu pugnat, ubi versus in «hymenaeum»

aliudve Graecum vocabulum vel nomen proprium exit. In sexto pede, nisi fallor, una discordia est ad incisionem, et altera ubi -que in fine (v. 298) elisionem patitur ut duo versus, sententia iubente, arte coniungantur. Sed tres tantum incisiones in quinto pede sunt, monosyllabo praecedente; in sexto autem pede prorsus nulla.

b) In Tibulli Elegiis sunt octingenti quinquaginta quinque (855) hexametri, in quibus inveniuntur

incisiones post quintam arsin 1) cum discordia 6
2) sine discordia . . . 17
incisiones in sexto pede 1) cum discordia (nisi prius quam semel) 0
2) sine discordia 3

In Libris III et IV, qui a versificatore posterioris temporis maiore cura quam ingenio facti sunt, prorsus nullam invenio discordiam. In «Messala», inepto stulti et ignoti poetae carmine heroico, e ducentis et undecim (211) versibus constante, sunt in quinto pede sex discordiae, et tantum tres incisiones post monosyllaba.

c) In mille et quingentis septuaginta duobus (1572) Properti Elegiarum hexametris, sunt

incisiones post quintam arsin 1) cum discordia 4
2) sine discordia 18
incisiones in sexto pede 1) cum discordia 1
2) sine discordia 27
exitus –́ ∪́∪ ∪ | –́ — in quibus est -que 2

Versus spondeum in quinta sede habentes sunt quinque, quorum tres «heroine» in fine habent, et duo in nomina propria exeunt.

d) In Ovidi Heroidum hexametris quingentis (500) invenio:

incisiones post quintam arsin 1) cum discordia 0
2) sine discordia 5

incisiones in sexto pede 1) cum discordia 0
2) sine discordia 1
exitus, –́ ◡◡ ◡ ¦ –́ — in quibus est -que 5
Spondeum in quinta sede 1

In Metamorph. Lib. VII quingentis versibus (500) sunt
incisiones post quintam arsin 1) cum discordia 1
2) sine discordia 1
incisiones in sexto pede 1) cum discordia 0
2) sine discordia 2
exitus, –́ ◡◡ ◡ ¦ –́ — in quibus est -que 4

Ex quibus omnibus apparet leges in ista artificiosiore poesi maiore cura observatas esse. Propertius videtur incisionem ipsam non tantum evitasse quantum ceteri. Contra haec omnia fortasse dicet quispiam, elegias scriptas esse, non minus quam Horati Satiras, ut aliquid extra se efficerent, multasque ad favorem amoremve a puellis concilliandum compositas esse; id quod eo confirmari videtur, quod nomina ficta easdem formas quas nomina vera puellarum habent. Proinde Catullus carmina primo ad Clodiam scripta, postea nomine ficto Lesbiae substituto edidit; et Tibullus pro suae Planiae nomine Graecam imitationem «Deliam» (planus: *δῆλος* = Plania: *Δήλια*) substituit. Sed quid de Propertio dicamus? Is enim in carminibus editis adhibet nomen Cynthiae, cum haud valde dubium sit quin eius deliciis nomen Hostiae fuerit. At si Hostiam pro Cynthia restituemus, nonnullos versus intolerables reddemus, non solum ob hiatum, verum etiam quod multae syllabae finales, quae positione producuntur, breves fient. In Lib. I hiatus fiet in V 31, VIII 42, XI 1, 23, 26, XV 5, XVIII 5, 6, 31, XIX 1, 15, 21, et syllabae finales positione carebunt in IV 19, 25, XII 20. Quare nihil absurdius esse potest (M. Haupti pace dixerim) quam existimare Propertium tam ineptum atque stultum fuisse ut

ad puellam politam, eamque ipsam poetriam, tales versus mitteret. Ceterum quomodocunque ea res se habet, alias ob causas, de quibus dicere non attinet, elegias et magna carmina heroica maiore cura scribere necesse erat, quam satiras, vel etiam epistulas, quas concedo apud Horatium perfectas fere in suo genere esse.

7. Omnia quae maximi momenti sunt ad mille versuum modulum redacta, quo facilius videamus quamnam rationem inter se habeant, in hac tabula posui:

	Enn.	Lucil.	Lucr.	Hor. Sat.	Hor. Ep.	Verg.	Ov. Met.	Ov. El.
Incisiones post quintam arsin								
1) cum discordia	52	10	(2)	42	19	4	2	0
2) sine discordia	77	66	80	128	72	14	2	8
incisiones in sexto pede								
1) cum discordia	74	36	36	58	36	4	0	0
2) sine discordia	9	25	20	59	51	11	4	4

Apud Lucretium discordiae in quinto pede speciem habent, quasi pauciores essent quam apud Vergilium, sed hoc casu accidit in Lib. III; nam in Lib. II sunt quattuor, neque pauciores in ceteris libris; in Vergili autem Aen. II in eo pede, ni fallor, nulla est eiusmodi discordia. Ovidi tam paucos versus inspexi, ut haec tabula non iustam rationem reddat. Verum enimvero, ubi res tam rarae sunt quam haec discordia apud elegiarum scriptores, comparatio haud multum docet; nam, ut supra ostendi, casu fieri potest ut valde inter se differre videantur. Videbis Vergilium multo rarius incisionem admisisse quam eos qui eum praecesserunt. Atque ionicum vocabulum, monosyllabo antecedente, ¦–́|⏑⏑–́⏒, diligenter vitavit; id quod ex eo apparet, quod in omnibus operibus is exitus in quinque tantum versibus invenitur, qui versus nomina propria eo loco habent. Etiam polysyllaba verba, quae discordiam inter ictum et accentum efficiunt, magis placebant; nam exitum ⏒⏒–́|⏑⏑–́⏒ in undetriginta (29) et exitum ⏒⏒–́|– –́⏒ in duodecim (12) versibus

invenimus. Res ita se habet, quia vocabulum tam longum monosyllabo subiectum asperum atque iniucundum erat. Quamobrem maxime miror quid sit quod Hermannus dicat (Elem. p. 344, Epit. §. 322) huius rei causam non in tali vocabulo esse, sed in praecedente. Fateor quae de remissionibus viribus dicit non omnino falsa esse, quamquam exitibus trimetrorum, ubi discordia maxime admittitur, male congruunt. Contra eum dicere licet, ubi vires remissae sint, ictum debiliorem esse, et iustas verborum formas minus mutare. Sic igitur res intellegenda est: inprimis cautio adhibenda est ne offensio in quinto pede fiat; quare, si incisio est, monosyllabum praecedere debet. Hoc autem monosyllabum vetat tam longum verbum insequi. Nemo de hac re dubitare poterit, si inspexerit quae secuntur:

apud Vergilium ⏓⏓–́|⏓⏓–́⏓ 41, |–́|⏑⏑–́⏓ 5 (nomina propria).
⏓⏓–́|⏑⏑|–́⏓ 14, |–́|⏑⏑|–́⏓ 130.

Similiter in Hor. Sat. I. invenimus |–́|⏑⏑–́⏓ 8, |–́|⏑⏑|–́⏓ 78, ut de 28 exemplis taceam quae formas |–́|⏑|⏑–́⏓, |–́|⏑⏑–́|⏓, cet. habent; et in Epist. I. |–́|⏑⏑–́⏓ 2, |–́|⏑⏑|–́⏓ 49. Unde maxime perspicuum est, exitum |⏑⏑|–́⏓, monosyllabo praecedente, exitu |⏑⏑–́⏓ anteponi. Non est igitur causa istius rei in verbo praecedente, neque in ionico verbo solo, sed in ea duorum verborum relatione, quae necessaria est ut discordia inter ictum et accentum vitetur.

§. 24. Paucis de re universa dictis, et altera parte audita, finem faciam.

1. a) Versus qui spondeum in quinta sede habent, nisi ita sunt facti, quo magis sententiae congruant, plerumque in nomina propria quattuor syllabas habentia exeunt. Quamobrem exitus –́ –|–́⏓, quamquam in eo perfectior est concordia inter ictum et accentum, non usurpatur. Nam raro nomen proprium ex duabus partibus spondiacis, ut «Gaius Gracchus», constat. Si

igitur nomen proprium spondeum efficit, scilicet in sexta sede positum usitatum exitum permittit; sin autem trisyllabum est — —́ ⏑ discordiam in quinto pede efficit nisi monosyllabum, vel polysyllabum vocabulum elisionem passum, praecedit; quare exitus —́ — —́ ⏑ nonnunquam invenitur. Verum si quadrisyllabum est, —́ — —́ ⏑ versus relicus tetrameter integer est, neque est in exitu ulla offensio, nisi quod quintus pes dactylus esse solet; quare hic exitus usitatior est.

b) Vocabulum maximi momenti saepe in versus fine ponitur, velut in sententiae fine in prosa oratione. Si tale vocabulum monosyllabum est, discordiam fieri cogit; id est, me quidem indice, poetae talia verba usque ad versus finem reservabant, non quod monosyllabum esset, sed quamquam erat monosyllabum; ut

parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Non ignoro multos et eruditos homines docere tales versus ita factos esse ut aliquid inexspectatum in fine repente praeberent; id quod saepe verum esse haud negaverim; sed in eo versu, cum vocabulum quod «ridiculus» est vidisti, tum nihil valde inexspectatum sequi potest; nam adiectivom ipsum aperit quale sit id quod secuturum est. Ergo si versum ita scribere velim ut inexspectatum notem, sic dividam:

parturiunt montes, nascetur — ridiculus mus.

Itaque in his versibus:

candida per silvam cum fetu concolor albo
procubuit viridique in litore conspicitur — sus,

nihil magis inexspectatum praebetur quam in his:

verum haec tantum alias inter caput extulit urbis,
quantum lenta solent inter viburna — cupressi.

Si vero vocabulum monosyllabum est, se ad hunc locum optime aptat, quia ictus inusitatus in eo ponitur, non autem

quod verbum praegressum ictum in ultima syllaba habeat; ut,

dat latus, insequitur cumulo praeruptus aquaé móns.

c) Monosyllabum saepe in versus fine ponitur, cum duo versus tam arte sententia coniuncti sunt ut vox legentis in prioris fine non deprimenda sit. Hermannus (Elem. p. 342) docet, si non longe a fine versus pausa sit, istud monosyllabum efficere ut ultimus ordo non nimis levis et brevis sit prae altera versus parte, ùt,

at Boreae de parte trucis cum fulminat, ét cúm etc.

At si hunc ordinem ita legere volueris ut «apte ad praecedentia comparari» possit, in immensum producendus erit. Mihi igitur videtur istud monosyllabum ideo adhiberi, quod accentus non patiatur ut vox deprimatur; et eo modo sententia, quae semper, si ista pausa adest, ambos versus arte coniungi iubet, observatur. Eodem modo multos euismodi versus explanare possumus, etiamsi nulla pausa in posteriore parte est, ut,

his me consolor victurum suavius ác sí
quaestor avos pater atque meus patruusque fuisset.

Hanc rationem Horatius persaepe adhibet in Satiris, sive ista pausa adest sive non adest, ut Lib. I. Sat. I 17, 46, 50, 56, 69, 81, 83, 96, 101, cet. Miror autem quid sit quod Müllerus (de met. Hor. p. 61) dicit hanc inelegantiam, a d d i t a e l i s i o n e, q u o d s a e p e f i a t, mitigari, ut

naturae fines viventi, iugera c é n t u m á n, etc.

In Vergili carminibus invenimus ǀ —́ ǀ ⏑ 48, ǀ —́ (⏑) ǀ ⏑ 2
,, Horati Sat. I. ,, ǀ —́ ǀ ⏑ 58, ǀ —́ (⏑) ǀ ⏑ 4
,, ,, Epist. I. ,, ǀ —́ ǀ ⏑ 49, ǀ —́ (⏑) ǀ ⏑ 1

Ergo Vergilius Horatiusque hac de re aliter censuisse videntur. Qua de re infra paucis disseram.

§. 25. Sed alteram partem audiam, et argumenta, si potero, confutabo.

1. Discordia in sexto pede rariore facta, ipsa quoque incisio rarior facta est, sed non tanto rarior quam discordia. At cur omnino rarior facta est, si res accentus momento tribuenda est? Quia revera nonnihil offensionis est etiamsi duo monosyllaba eum locum tenent; nam, ut ante dixi, monosyllabum in fine accentum habet, cui accentu versus forma repugnat, et nisi duo versus sententia arte coniuncti sunt, is accentus ex vocabulo tollitur, id quod paullum offensionis facit.

2. Cum incisio in sexto pede est, ictus non cum accentu pugnat, si verbum polysyllabum praecedens elisionem patitur, ut, Hor. Epist. I. 7, 27,

reddes dulce loqui, reddes ridere *decórum et*;

at enim haec elisio omnium rarissima est, neque semel apud Vergilium invenitur, nisi ubi vocabula bisyllaba in monosyllaba mutantur, atque hoc rarissimum est. Ad hoc respondeo, omnes asperitates Vergili temporibus vitatas esse. Id ex eo apparet quod Vergilius, quamquam quadraginta octo (48) monosyllaba eo loco habet, in duobus tantum versibus, ut supra ostendi, bisyllaba verba, | –́ (⏑) | ⏓, eo loco admittit; quorum vers. um exitus est «atque huc», in quo haud dubie vocalis prorsus expellitur. Cum igitur haec elisio evitaretur, quanto magis evitanda erat elisio in polysyllabi vocabuli fine! Nam nihil durius esse potest, quam polysyllabum, cuius ultima syllaba elisione diminuatur, cum monosyllabo coniunctum.

3. Quod istae post vocabula polysyllaba incisiones rarae sunt, id «legibus aestheticis» a Luciano Müller tribuitur. Quid hoc sibi velit non omnino intellego. Si dicit has leges ei similes esse, quae Graecos tragicos vetabat spondiacum verbum ante incisionem in quinto pede adhibere, argumentum difficile est ad confutandum, non quidem quod persuadeat, sed quia nescimus quam dicat causam rei esse. Sin dicit ictum in ultima syllaba

offendere, nihil habeo quod respondeam. Nam in hexametris a principio accentus nihil fere momenti habuisse videtur, et hae leges inde oriundae sunt, quod plurimi versus eas incisiones non habebant; atque in trimetris vidimus ictum in ultimis syllabis evitari, etiam si aliter nulla est offensio. Sed nihil impedit quin momentum et tenuitati ultimarum et accentu in paenultimis tribuamus. Cum autem discordiam vitarent, id quoque non quidem conscii vitabant, quod discordiam efficere posset; quare incisio in quinto quoque pede nonnihil rarior facta est; veluti Graeci tragici istam incisionem, ni fallor, rarius quam comici poetae admittunt, etiam si brevis syllaba praecedit. Huc accedit quod vox pyrrhichium efficiens post incisionem accentum habet, quare paullum offensionisest.

4. Monosyllabum, quod incisionem in ultimis pedibus praegreditur, haud raro nullum accentum habet. Ex centum triginta (130) Vergili versibus, qui in rationem | ⏗ ¦ ⏑⏑ | ⏗ ⏓ exeunt, sex praepositionem in quinta arsi habent, ut «ab Jove summo», ut de octo versibus taceam, ubi Pronomen Relativom est, et de septem ubi «non» est, et de multis aliis in quibus sunt alia vocabula quae Grammatici docent accentu carere. Tantum de praepositionibus dicam de quibus dicit Quintilianus (I,5,25): ,,Nam cum dico «circum litora», tamquam unum enuntio dissimulata distinctione; itaque tamquam in una voce una est acuta, quod idem accidit in illo: Troiae qui primus ab oris». Aliis quoque de causis apparet; nam in omnium aetatium inscriptionibus praepositiones cum Nominibus in unum verbum coniunctae nonnunquam inveniuntur (Corss. II p. 863 etqs.). Eodem modo res antiquissimis temporibus se habebat, ut docent formae quales antidhac, postidea, et similia, quae verba prius coniuncta sunt, quam anted, posted litteram -d amiserunt; atque ita erat etiam eo tempore quo linguae Graeca et Latina una lingua

erant. Proinde praepositiones Graecae plerumque nullum accentum habent. Sunt quidem qui doceant accentum qui in *πρὸς τούτοις* est, medium fuisse, non gravem. Id haud gravatim concedo in aliis verbis; nam Dion. Hal. (de comp. Verb. c. 11) de *σῖγα, σῖγα, λευκὸν ἴχνος ἀρβύλης κτέ.* dicens, his verbis utitur: *ἐν γὰρ τούτοις τὸ „σῖγα, σῖγα, λευκὸν“ ἐφ᾽ ἑνὸς φθόγγου μελῳδεῖται· καίτοι τῶν τριῶν λέξεων ἑκάστη βαρείας τε τάξεις ἔχει καὶ ὀξείας,* ut demonstraret musicos tonos non necessario cum accentibus congruere. Et ubi talia verba elisionem patiuntur, accentus in alteram syllabam recedit, ut *αἴσχρ᾽ ἔργα.* Hoc vero praepositionibus non accidit, ut *παρ᾽ ἐμέ*; atque in quibusdam dialectis ita scribuntur etiamsi consonans sequitur. Sed redeundum est unde longe digressus sum. Satis igitur apertum est praepositiones plerumque accentu caruisse. Rationem autem feci et comperi apud Vergilium ceterosque poetas eas tam saepe eum locum tenere quam exspectandum esset si accentum haberent. Sed quare id evitari debet? Ictus accentum petebat non solum quod accentus erat, sed etiam quod eo modo effectum est ut non in syllabam ultimam caderet; quamobrem si praepositio pyrrhichium praecedit, | –́ | ⏑̋ ⏑, offensio non tam dura est quam ubi verbum accentum habens eum locum tenet, ut –̋ –́ | ⏑̋ ⏑, ⏑̋ –́ | ⏑̋ ⏑, ⏑̋ ⏑ –́ | ⏑̋ ⏑, in quibus verbis ultima syllaba multo obscurior est quam praepositio, quae primae verbi syllabae haud dissimilis est, quale «armáque» quod non multum differt ab eo quod «ab Jóve» est. Eodem modo res explicanda est, cum verbum trochaicum accentu carens in quinto pede est, ut «propter eundem», «unde Latinum». Sed praepositiones ceteraque eius generis verba non semper cum vocabulis insequentibus omnino tamquam unum verbum legenda esse ideo apertum est, quod exitus quales «inter eundem», «unde Latinum», qui numerosi sunt, eandem offensionem facerent,

quam integra vocabula ambos pedes continentia, ut «ingemuerunt» quae plane evitantur. Itaque in senariis caesuram proxime post praepositionem invenimus, ut

et inde tot per ‖ impotentia freta;


nam versus caesura carens apud Catullum inauditus est. Atque supra demonstravi in Graecis trimetris talem incisionem versus caesura aliter carentis inelegantiam nonnihil mitigare.

Scriptoris vita.

A. d. XVII. Kal. Oct. anni h. s. XLIV in ea Virginiae parte quae hodie Virginia Occidentalis vocatur, patre Andrew Cavit, quem iam sex annos mortuum maereo, matre Mary M'Quain, quae viva mihi magno solacio est, e gente Heffner, ruri M. W. Humphreys natus sum. Elementis imbutus tredecim annos natus ad Gymnasium missus quod in urbe Charleston, Virginiae Occidentalis capite, est, operam studiis tres annos dedi. Deinde me ad oppidum Lexington, quod in Virginia est, contuli, ubi litteris in Collegio Washingtoniensi, ab ipso Washington constituto, iam septem menses studebam, cum bellum civile totam nationem Americanam ipsis sedibus convolsurum exarsit. Post aliquot menses ultro me patriae Virginiae militem septemdecim annos natus obtuli. Quattuor annos bellatum atque tumultuatum. Per hoc tempus in tormentorum bellicorum administratione versatus sum. Neque fuit mihi opportunitas litteris studendi, neque voluntas. Bello confecto, tota vastata patria atque in Unitarum Civitatium ditionem redacta, me iterum litteris dedidi, et post unum annum, mense Aprili anni LXVI ad Collegium Washingtoniense reversus, cui eo tempore Robert Edward Lee, Confoederatorum omnium clarissimus, praesidebat, mense Junio anni LXVII examine in Graecis Latinisque studiis superato, professor extraordinarius, cum titulo «Assistant Professor of Ancient Languages», factus sum. Anno autem LXIX examine in ceteris studiis superato, Artium Magister declaratus, unum post annum professor ordinarius, cum titulo «Adjunct Professor of Ancient

Languages», factus sum. Anno LXX praeside clarissimo morte absumpto, filius eius, G. W. Custis Lee, homo eruditus atque dux praeclarus Confoederatorum, praeses creatus est, et nomen collegii in «Washington and Lee University» mutatum est. Mense Julio anni LXXII, a collegis humanissimis administratoribusque universitatis benignis commeatu impetrato ut in universtatibus Germaniae celeberrimis uno anno litteris studerem, me ad Universitatem Berolinensem contuli, ubi viros doctissimos unum per semestre tempus audivi, E. Curtium, M. Haupt, Ebel, Geppert, Mullach. Deinde Lipsiam veni, ubi in hac omnium maxime celebrata Universitate, professores eruditissimos atque inlustrissimos, Ritschl, G. Curtium, Lange, Voigt, Nobbe, audivi. Interea commeatu in alterum annum extento, eosdem praeter Nobbe venerabilem audio professores, quos priore semestri tempore audivi, quibus omnibus gratias ago. Valetudine autem impeditus, quominus animum ad litteris studendum appellam, hanc dissertationem tam crudam atque imperfectam tradere constitui.

Scr. Lipsiae prid. Kal. Feb. a. MDCCCLXXIV p. Chr. nat.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 064 602 2